

DISPUT. XXX.

LOGICÆ PERIPATETICÆ,

# VESTIGIA

A

THEOLOGIS ORTHODOXIS

IN DOCTRINA

DE

# CATEGORIA

## QUALITATIS PRESSA,

INDULTU ORDINIS PHILOSOPHICI

PRÆSIDE

### D. CHRISTIANO LUDOVICI,

Profess. Publ.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

*Die 29 Augusti 1726 ab hora X. usque ad XII.*

PROPONIT

### JOANNES DAVID SIMON

Coburgo-Francus SS. Theol. Stud.

LIPSIÆ,

LITTERIS SCHEDIANIS.

*26.*

*a. LXXI. 21.*

l. diss. A  
21



WESTPHALIA

THEODORE OPPENDORF

IN DOCTRINA

CAETERA

QUALITATE

IN DOCTRINA



D. CHRISTIANUS

IMMANUEL

JOHANNES DAVID SIMON

IN DOCTRINA

LITTERIS



V I R O

MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMO,  
CLARISSIMO, DOCTISSIMOQVE

D O M I N O

M. JOH. CHRISTOPHORO  
STEMLERO,

ECCLESIAE NEOSTADIENSIS AD ORI-  
LAM ARCHI-DIACONO FIDELISSIMO,  
MERITISSIMO,

PATRONO ET FAVTORI,

INTIMO PIETATIS AFFECTU ÆTERNVM  
DEVENERANDO



IN. MONUMENTUM.  
OBSERVANTISSIMI. CONAMINIS.  
MENTEM.  
PER. PATERNAM. PRORSUS. BENEVOLENTIAM.  
EXIMIUMQUE. OLIM. ET. NUNC. PATROCINIUM.  
EI. DEVINCTISSIMAM.  
NON. SOLUM. DECLARANDI.  
SED. ET. TESTIFICANDI.  
PIAM. EXISTIMATIONEM.  
QVA. ἀρετῆων. EJUS.  
IN. THEOLOGICIS. PARITER. QVAM  
PHILOSOPHICIS.  
QVA.  
SPARTAM. ORNAT.  
MINISTERIUM. DECORAT.  
ET. SACRAM. CATHEDRAM. COLLUSTRAT.  
MERITO. DEVENERATUR.  
CUM. VOTO.  
PERENNIS. AC. MERITIS. DIGNÆ. PROSPERITATIS.  
PRIMITIAS. HASCE. ACADEMICAS.  
CONSECRAT.

JOHANN. DAVID. SIMON.



§. I.

**M**issa homonymia, missis distinctionibus & synonymis potentiae ad divisiones accedimus, quarum I. fit in *potentiam activam & passivam*, quae etiam *potentia recipiendi*, sive *receptiva* appellatur. (Activae & passivae adjiciunt *resistivam*, qualis est in incude, quae resistit malleo ferroque cudendo.) Illa est e. g. potentia ignis, quae calefacit; haec potentia objecti frigidi, qua id calefieri potest. Ita potentiam etiam Theologi dividunt, & ad materiam theologiam transcendentalemque applicant.

1) *in artic. de Deo* Joh. Ad. Scherz. Syst. Theol. loco II. §. XIX. p. 54. ubi Dei potentiam exponit, *omnipotens*, inquit, *est per POTENTIAM ACTIVAM*. Nam *PASSIVA in Deo non est*. *Et quis materiam primam, quia omnes omnino formas possibiles recipere potest, passive omnipotentem diceret? potentia τὸ λόγος, quae in hypostasin suam assumpsit carnem, grammatice potius quam physice passiva est*. Conf. Henr. Höpfn. LL. Theol. IV. p. 114. *POTENTIA DEI*, inquit, *est ACTIVA non PASSIVA*. Abrah. Calov. Syst. Theol. T. II. p. 493. ubi *Vorstium* errare ostendit, *qui improprie quidem & respectu relationis pure externae, qua Deus v. g. colitur & amatur a piis, offenditur & blasphematur ab impiis*, p. 283. Deo *POTENTIAM PASSIVAM* tribuit, interea tamen asserit, *quod pura extrinseca relatio ac denominatio in ipso Deo PASSIVAM quandam POTENTIAM inferat, adeoque geminam Dei potentiam facit, aliam ενεργητικὴν s. activam, aliam παθητικὴν sive passivam*. *Quid quod passivam quoque Filii generationem, ac passivam Sp. S. spirationem indiget, quae potentiam passivam aut includant, aut praexigant*. Joh. Ebart. Enchir. Theol. Loco II. p. 67.

2) *in articulo de persona Christi* Joh. Affelm. Synt. Diff. Disp. VII. p. 131. 157. ubi *δύναμις* principium passivum vel recipiens, cum potentia passiva denotat; *quae uniuntur*, inquit, *ut δύναμις & ἐντελέχεια ista sine mutua communicatione non uniri, etiam philosophi agnoscunt: hinc materia participare forma, & per istam participationem actuari dicitur*. *At uniuntur ita λόγος & caro*.

3) *in articulo de Sp. S.* Dorfch. apud Joh. Congr. Dannhauer. in Styl. Vind. aeternae Sp. S. a Patre Filioque processionis, p. 71. ubi negat passionem seu spirationem passivam significare *POTENTIAM RECIPIENDI* cum imperfectione, sed cum summa perfectione.

4) *in articulo de Angelis* Joh. Ad. Scherz. S. T. I. IV. §. 8. p. 100.

A 2

quorum



quorum potentiam inter alia bis verbis explicat: *activitas (POTENTIA ACTIVA Angelorum) nec omnimoda nec infinita (quæ folius Dei) nec mere secreta sc. ab omni POTENTIA PASSIVA, quæ Angelis deneganda non est, quod vel diabolorum in igne cruciatu ostendunt. Conf. Ægid. Strauch. C. Theol. Pos. Pol. art. IV. p. 199. habent, inquit, Angeli POTENTIAM quandam passivam. (quæ alias materiæ dicitur propria.)*

5) *in articulo de libero arbitrio, id. ibid. art. VII. p. 276. ubi, cum notasset, peccatorem pati, ablato naturali obice, se converti, addit: attribuo illi aliquam POTENTIAM non ACTIVAM sed PASSIVAM; in scriptura per tractum exponitur potentia passiva, Cantic. I, 4. Joh. VI, 49. conf. Fecht. in Syll. Contr. Select. Disp. XVII. §. 7. Joh. Gerh. Conf. Cath. lib. II. P. III. artic. XXII. c. IV. p. 536. 539.*

6) *in artic. de baptismo, Fridem. Bechm. Annot. Uber. in Comp. Hutteri p. 665. ubi pædobaptismum hoc argumento confirmat: si infantes sunt inhabiles baptismi, aut inhabilitas illa erit ex parte Dei, aut ex parte baptismi, aut ex parte infantum. Non ex parte Dei vel divinæ POTENTIÆ (ACTIVÆ quæ sola in Deum cadit) quod Schlichtingius admittit; nec ex parte baptismi, quis negaverit infantem posse immergi (en POTENTIAM PASSIVAM) nec denique ex parte infantum, finem enim RECIPERE possunt (en POTENTIAM PASSIVAM) a Deo per baptismum.*

7) *in articulo de reparatione gratiæ Dei Joh. Ad. Scherz. Anti-Bellarmin. Disp. XVI. p. 719. ubi posita thesi: homo in spiritualibus non habet liberum arbitrium, pergit: intelligimus a) non mentem aut voluntatem hominis, hoc enim liberum arbitrium qui negat, Catholicus non est, juxta Augustin. lib. III. Hypognost. nec b) POTENTIAM PASSIVAM, qua homo recipere potest gratiam convertentem, sed VIM NATURALEM, (ACTIVAM & PASSIVAM) qua homo se possit ad gratiam præparare, oblata assentiri, conversioni cooperari ac spirituales motus edere.*

8) *in artic. de peccato, id. ib. l. VII. System. Theol. p. 156. cum scriptura sacra, inquit, hominem mortuum in spiritualibus vocat, ipsi omnem POTENTIAM ACTIVAM ad sui conversionem denegat; PASSIVAM autem cum distinctione quadam largitur. Potentiæ passivæ seu receptivæ ceu naturali opponitur obedientialis, hanc vero, non illam irregentus ad sui conversionem habet. Naturalis enim potentia passiva solius naturæ viribus, citra Dei specialem concur-*

concur-



concursum traduci in actum potest. Quod de conversione dici nequit. Vid. Disput. nostra IX. Num. IIX.

9) id. ibid. homini mortuo, inquit, confertur irrogenitus ratione solius impotentiae activae & potentiae obedientialis, non vero ratione POTENTIAE RESTITIVAE, quod propter cavillationem adversariorum observandum, quorum sophisma est: si homo in sui conversione sese habet hic passive, instar mortui, lapidis ac trunci, sequitur, quod non possit resistere Deo convertenti, sed ignorans & nolens convertatur.

§. 2.

Ista divisione distribuitur potentia in remotam seu Metaphysicam & propinquam s. proximum sive physicam, illa est v. g. potentia generandi in infante, haec in viro juvene, illa in non repugnantia ad actum, haec in dispositione ad actum consistit. Applicant Theologi hanc etiam ad sua dogmata

1) in artic. de theol. natur. Joh. Mus. Intr. in Theol. c. II. p. 53. Relinquitur ergo, inquit, quod in sensu tertio notitiae quaedam dicantur natura insitae, nempe quod intellectui insitae sint POTENTIA PROPINQUA, & p. 54. volunt (notitiam naturalem) potius dispositionis quam habitus appellationem mereri, quo quid aliud sit, aut esse possit, quam modo asserta a nobis perfectio, intellectui innata, qua intellectus potens, vel in POTENTIA PROPINQUA constituitur ad actus cognoscendi immediate per se & citra ullam aliunde sumptam rationem cognoscendi eliciendos, non videmus. Imo vidimus & errorem refutavimus alibi.

2) in artic. de Deo, Henr. Asc. Engelcke. l. potius J. C. Schomerus in Coll. Nov. Controv. cap. III. p. 129. ubi recte Joh. Musæum, Calvinianos quosdam & scholasticos secutum notat, perhibentem, notitiam Dei insitam esse non in actu primo, nec secundo, sed in potentia PROXIMA.

3) in artic. de persona Christi Ægid. Strauch. Comp. Theol. Posit. Pol. art. IX. p. 307. ubi expositis tribus actibus circa unionem duarum naturarum in Christo observandis, nempe missione, descensu in uterum Mariæ & unitione τῆς λόγῃ cum purissimo semine animato Mariæ, hæc addit: anima Christi fuit in anima Mariæ & ob ea descendit, non secundum POTENTIAM PROXIMAM, sed REMOTAM. Non fuit anima Christi in anima Mariæ ordinario sed extraordinario modo.

Λ 3

4) in



4) *in articulo de Angelis* J. A. Quenst. S. T. P. I. c. XI. p. 447. thesi XVI. qui Angelis in statu originali POTENTIAM peccandi NATURALEM & PROXIMAM denegat, & p. 448. *distinguit inter impeccabilitatem, quae excludit POTENTIAM proximam peccandi, supposita voluntate Dei conservante, & inter impeccabilitatem, quae excludit in subiecto omnem POTENTIAM etiam REMOTAM.* Pergitque aliud esse posse non peccare (quod peccandi actum quidam tollit, sed POTENTIAM omnem etiam REMOTAM non excludit) & sic Angeli ante confirmationem potuerunt non peccare, POTENTIA sc. PROXIMA: propter habitum sanctitatis concreatum, sed tamen potuerunt peccare POTENTIA REMOTA: & aliud est omnino, non posse peccare, quod utrumque & actum & potentiam omnem peccandi tollit. Conf. Ægid. Strauch. Comp. Theol. Posit. Pol. artic. IV. p. 202.

5) *in artic. de imagine Dei* Joh. A. Quenst. Syst. P. II. p. 34. in quaestione: an etiam sita fuerit imago Dei in corporis impassibilitate ac immortalitate? Ubi notat *immortalitatem non constituisse in impotentia moriendi, quae comprehensorum fit, sed in potentia duntaxat non moriendi, quae viatoris esse potuerit, & exclusiva fuerit POTENTIÆ quidem PROXIMÆ moriendi, REMOTÆ non item.* Conf. G. Zeæm. de imagine Dei c. VIII. p. 167. 175. 177. 178. 179. Joh. Frid. König T. P. p. 74. §. 27. qui asserit, abfuisse ab homine saltem NATURALEM proximam ad peccandum POTENTIAM, nec non ipsum peccandi actum, & eatenus impeccabilem dici, adeoque non absolute, sed secundum quid. Sebast. Schmid. Comp. Theol. c. IX. p. 204. homo immortalis fuit, (quia mors non fuit naturæ conditio, sed peccati pœna) mortalis autem *divinus* REMOTA non PROXIMA. J. A. Schmidt Comp. Theol. p. 127. Ægid. Strauch. Comp. Theol. Pos. Pol. artic. V. p. 225. 226. Joh. A. Scherz. Syst. Theol. loco V. p. 116. Ubi *immortalitas hominis* (in statu innocentiae) *dicitur fuisse non absoluta, sed ordinata & hypothetica; & compositio ex pulvere inferre dicitur POTENTIAM resolvendi non PROXIMAM, sed REMOTAM, nec ab interno principio actuandam.* vid. in Anti-Bellarmin. Disp. XIV. p. 632.

6) *in artic. de libero arbitrio* Ægid. Strauch. Comp. Theol. Posit. Polem. artic. VII. p. 276. ubi ait POTENTIAM hominis convertendi passivam esse non PROXIMAM sed REMOTAM, nec traduci in actum nisi interveniente gratia Dei.



7) *in artic. de peccato* J. A. Scherz. Syft. loco VII. p. 155. seq. ubi ex comparatione palmitis avulsi a vite, qui nullam potentiam producendi uvas neque remotam neque proximam habet, cum homine five Christo, Joh. XV, 4. 5. colligit: nullas dari in homine irrogenito vires naturales, nullam **APTITUDINEM** ac **POTENTIAM** five remotam five proximam ad sui conversionem, i. e. nullum hominem irrogenitum in spiritualibus habere liberum arbitrium.

*in eod. artic.* Ægid. Strauch. in Comp. Theol. art. V. p. 225. erat primus homo quidem labilis, sed ratione **POTENTIÆ REMOTÆ** & **METAPHYSICÆ** seu non repugnantia, per usum liberi arbitrii poterat labi. Non erat labilis ratione **POTENTIÆ PROXIMÆ**, sic enim erat sufficientissimis viribus instructus. Non ratione **POTENTIÆ NATURALIS** (i. e. proximæ s. physicæ) & congenitæ.

8) *in artic. de baptismo* Joh. Forst. Thef. Catech. Dec. III. de baptismo, probl. II. p. 523. 524. §. 28. Cum Papistis negatur (Beza) infantes non in propriam sed in parentum & Ecclesiæ fidem baptizari, vi veritatis convictus concedit infantes habere fidem δυνάμει, sed per hanc δυνάμει non intelligit **ACTUM PRIMUM** (**POTENTIAM PROPINQVAM**) fidei jam per baptismum acquisitæ, sed potentiam **REMOTISSIMAM** ejus aliquando ex auditu verbi acquirendæ.

9) *in artic. de morte* Seb. Schmid. Comp. Theol. cap. XXXIV. p. 514. mortale quidem fuit corpus hominis, sed **POTENTIA REMOTA**; hypothetice & κατὰ τι five ἀκέρως, nullo autem modo **POTENTIA PROPINQVA**, absolute aut ἀπλῶς.

Nota. Cum potentia proxima eadem sit, quæ naturalis, quod ex allegatis exemplis manifestum est; potentia prædicamentalis, quæ est naturalis, potius distinguitur quam dividitur in potentiam proximam & remotam.

§. 5.

III. Divisio est, qua potentia naturalis distribuitur in liberam, qualis potentia volendi, & necessariam seu naturalem stricte dictam qualis potentia stomachi concoquendi cibum. Paria faciunt cum Philosophis Theologi

1) *in artic. de Deo*, ubi Abrahamus Calovius Syft. Theol. T. II. p. 453. hæc habet: **VOLUNTAS** (ceu potentia nostro concipiendi modo) Dei est tum **NATURALIS**, qua Deus per naturam se ipsum, ceu summum bonum vult, tum **LIBERA**, qua sic vult  
omnis



omnia alia extra se, quæ vult, ut possit, eadem non velle: quæ iterum vel approbans s. permittens quibusdam dicitur.

2) in artic. de angelis Joh. Andr. Schmid. Comp. Theol. p. 92. quibus cum voluntatem (potentiam volendi) assignasset, eam exponit: *Est autem voluntas pro actu primo sumpta POTENTIA LIBERA adpetendi bona & averfandi mala pro diverso statu diversimode se exereus.*

3) in artic. de libero arbitrio hominis Balthaf. Meisn. Philos. Sobr. P. III. sect. I. p. 29. quando quæritur: an voluntas in usu libertatis suæ pendeat ab intellectu practico, & ab eo in alteram partem per ultimum iudicium necessario determinetur? negativam hoc modo probat: *& sane quod voluntas non necessario in alteram partem determinetur, patet ex ipso inter POTENTIAS NATURALES & LIBERAS discrimine, quarum illæ positis omnibus ad agendum requisitis determinantur necessario ad agendum, ita ut non possint non agere: hæ autem non determinantur, sed agere & non agere possunt. Atqui VOLUNTAS est POTENTIA LIBERA, quod in confesso. Ergo positis omnibus requisitis, ex quibus etiam est apprehensio & intellectus iudicium, agere & non agere potest.*

§. 4.

IV. Dividitur potentia naturalis (quæ hic non opponitur liberæ sed eam includit) in homine in *superiorem & Principem*, qualis potentia anima rationalis intellectiva & volitiva, & *inferiorem*, qualis est potentia animæ sensitivæ & vegetativæ. Superiores etiam sunt potentia animæ in genere, respectu potentiarum corporis, quia hæ ab illis gubernantur. Imitantur Philosophos Theologi, quibus etiam superior facultas interdum est facultas spiritualis

1) in articulo de Deo Christianus Matthias Coll. II. Exercitationum Theologic. p. 12. πνεῦμα sive spiritus, inquit, πνευματικῶς significat SUPERIOREM animæ regeneratæ POTENTIAM sive FACULTATEM, per quam homo adhaeret Deo & motum Spiritus sui sequitur Rom. IIX, v. 16.

2) in artic. de persona Christi Mart. Chemnitius de duabus naturis in Christo cap. XXX. p. 232. ubi explicat corpora ψυχικά opposita spiritualibus: *sunt & vocantur, inquit, in hac vita corpora ψυχικά (animalia) non quod in animam sint transmutata, aut ejusdem substantiæ sint cum anima, quæ spiritualis substantia est; sed quia non se ipsis, aut propriis tantum suis corporeis conditionibus, proprieta-*



prietatibus & FACULTATIBUS ad actiones moventur & GUBERNANTUR corpora, sed ab anima POTENTIIS per cibos & alia, quæ ad nutritionem, augmentationem, sustentationem, ut media pertinent, vegetantur, sustentantur & conservantur &c. breviter corpus subiectum est animæ affectionibus, quæ membris corporis pro sua voluntate & potentia, sicut vult ac potest, utitur. Hic potentia corporis ceu inferiores, potentiis animi ceu superioribus contradistinguuntur.

3) in loco de homine Joh. Andr. Schmidt Comp. Theol. P. II. c. I. p. 121. subiectum operationis (in theologia) parziale, & quidem primarium est anima, PRINCIPESQUE in ea FACULTATES, (intellectus, voluntas & appetitus sensitivus) secundarium vero est corpus. Notandum ad principes facultates ab eo hic referrî etiam appetitum sensitivum, animæ sensitivæ facultatem, nimirum respectu facultatum corporis, quæ ratione facultatum animæ in genere inferiores dicuntur. conf. Just. Feuerb. Fasc. VI. Disp. III. p. 953. qui ad Weigelianorum objectionem: sacra scriptura uspiam distincte meminit animæ & spiritus, Ergo est essentialis distinctio animæ & spiritus illius, respondet: 1.) non omnis διαίρεσις & μερίσµος est distinctio substantialis 2.) per spiritum sacra scriptura in ejusmodi effatis non intelligit aliquem spiritum ab anima humana substantialiter differentem, sed PARTEM animæ SUPERIOREM; solet enim anima distingui in SUPERIORES & INFERIORES FACULTATES. Propterea & ipse Paulus vocat spiritum mentis.

4) in articulo de pœnitentia Joh. Hulfem. in Form. Conc. Art. X. sect. II. p. 507. ubi subiectum pœnitentiæ & conversionis adæquatum non sola FACULTAS SUPERIOR, sed & INFERIOR & sensitiva esse dicitur, vid. locum in Disput. de homonymis potentiaæ allegatum.

5) in articulo de peccato originis J. B. Carpz. Ifag. p. 162. ubi vocabulum concupiscentiæ in A. C. adhibitum exponit. Vocabulum concupiscentiæ hoc in loco latiore habet significatum, & (1) non tantum VIM appetendi INFERIOREM, quæ in appetitus sensu est, significat, vel (2) ad summum voluntatis tantum ad malum pronitatem, sed (3) etiam inclinationem ac pronitatem in intellectu ad falsum. Quod Protestantes in A. C. indicare voluerunt eo ipso, quando absentiam fiducia in Deum non tantum inter ceteras partes Originale peccatum constituentes, collocarunt, sed etiam in Apologia addiderunt

B

derunt



derunt &c. Ut ita vocabulo hoc ipsa habitualis malitia omnium VI-  
RIUM tam SUPERIORUM, quam INFERIORUM, quae in locum  
iustitiae originalis successit, intelligatur, scilicet in mente & intellectu  
caecitas ac ignorantia circa intelligendum verum: in voluntate pronus  
impetus ad malum: in facultate appetibili & irascibili reluctatio car-  
nis adversus spiritum. Conf. p. 147. 148. 152. p. 160. ubi P. O. non  
tantum in POTENTIIS INFERIORIBUS, sed etiam SU-  
PERIORIBUS intellectu & voluntate haerere dicitur.

in eod. artic. de peccato originis Joh. Ben. Carpz. Ifag. in libr.  
Symb. p. 1172. Subjectum peccati originis est 1) natura humana, non 2)  
quoad certas partes aut qualitates tantum, sed 3) tota, tam quoad  
animam, quam quoad corpus. 5) tam quoad interiores, quam exte-  
riores vires 6) tam quoad SUPERIORES, quam INFERIORES,  
quamvis 7) maxime & imprimis, ut p. 679. declaratio loquitur, quoad  
SUPERIORES anime facultates in mente.

6) in artic. de imagine Dei, Georg. Zeamanni. cap. VI. p. 117.  
ubi observat Jesuitas concupiscentiam carnis ad INFERIORES sal-  
tim hominis animalis potentias & membra iis inservientia, maxime  
vero ad genitalia referre. Joh. Fecht. in Syllog. Controv. Selectarum  
Disput. XIV. §. 4. Joh. Giffen. de Papismo Disp. XLI. p. 720. Joh.  
Gerh. Confess. Cathol. lib. II. P. III. artic. XX. c. III. p. 349.

7) in loco de amissione gratiae Dei & statu peccati Joh. Ger. in  
Bellarm. Orthod. Teste Disput. XXVI. §. 67.

§. 5.

V. Superior ex parte & inferior potentia subdividitur in concupi-  
scibilem & irascibilem, 1) in loco de peccato, Joh. B. Carpz. If. in Libr.  
Symb. p. 1003. 2) in loco de haeresibus, Dan. Cramer in Haesiologia  
Proleg. p. 6. Sicut, inquit, anima hominis maxime sedes est omnis pecca-  
ti, ita & anima sedes est maxime etiam peccati haeseos. Et quidem  
secundum omnes tres suas facultates, ἡγχιμωσικὴν, ἐπιθυμητικὴν καὶ  
δογματικὴν. Non displicet mihi illorum sententia, qui dicunt haec tria  
requiri ad hoc, ut quis proprie dicatur haeticus. Primum scil. falsa  
credulitas in rationabili. secundum perversa voluntas in CONCUPI-  
SCIBILI, tertium impugnationis pertinacia ex parte IRASCIBILI.

§. 6.

VI. Potentia dividitur in interiorem & exteriorem in loco de P. O.  
Joh. B. Carpz. Ifag. in L. S. p. 1172. π. 74. Vid. testimonium modo alle-  
gatum & conf. p. 1174. 1185.

§. 7.



§. 7.

VII. Potentia dividitur in *potentiam corporis & anime* 1) *in loco de imagine Dei.* Leæmann. cap. IV. p. 69. Joh. Fecht in Syll. Conrov. select. Disput. XIV. §. 3. 2) *in loco de bonis Operibus,* Jo. Fecht. ib. Disp. XLI. §. 1. 3) *de libero arbitrio.* Joh. Gerh. Conf. Cath. lib. II. P. III. artic. XXII. c. i. p. 488. 536.

§. 8.

Neque negligenda hic est differentia vocum *potentia & potestatis,* etsi enim sæpe a se invicem distingui soleant, ut potentia, græce *δύναμις,* facultatem; potestas vero, græce *ἐξουσία,* jus significet, nonnunquam tamen promiscue usurpantur etiam apud Theologos. Speciatim permutat, vel distinguit a se invicem eas

1) *in artic. de Christo* Martinus Luther. de ultimis verbis Davidis explicans sententiam Daniel VII., quod filio hominis data sit æterna POTESTAS, *Christus,* inquit, *habet duas natiuitates, seu duas naturas in una inseparabili persona. Secundum priorem natiuitatem non in tempore, sed ab æterno a Deo Patre accepit æternam POTENTIAM illam seu divinitatem* &c. ap. Mart. Chemnit. de duabus nat. in Christo cap. XXV. p. 209. fac. 6. Conf. cap. XXIV. p. 167. fqq. *Alii disputant non idem esse ἐξουσίαν καὶ δύναμιν potestatem & potentiam, atque ideo omnem quidem potestatem, non autem omnem potentiam Christo in tempore datam* &c. Sed nos audiamus scripturam &c. Joh. B. Carpz. II. in L. S. sect. II. p. 1526. Cum ostendisset omnipotentiam a Christo sibi ipsi adferi Matth. XXIX, 18. hæc in dictum illud commentatur: *ubi occurrit primo distinctio: δύναμις* enim alias notat ipsam potentiam & vim agendi, *ἐξουσία* vero notat agendi potestatem & jus potentiam exercendi, quando vero de Deo dicitur, tunc *ἐξουσία* *δύναμιν* conjunctam præsupponit. Conf. de Christo Apoc. V, 12. Matth. XXVI. 64.

*in eodem loco* Balth. Mentzerus Oper. T. II. p. 584. *ubi distinguit inter POTESTATEM humanam, quæ sæpe fit sine POTENTIA. Princeps,* inquit, *sæpe habet potestatem, jus & auctoritatem bona sua per vim ab hostibus ablata recuperandi, sed desunt ipsi vires & potentia: & inter ἐξουσίαν divinam, quæ nunquam fit sine δύναμει. Cui ergo datur a Deo omnis POTESTAS, eidem & POTENTIA datur.*

*in eod. loco* Joh. Affelm. Synt. Diff. Acad. P. I. p. 130. 163.

2) *in artic. de Trinitate,* Joh. Dorscheus in Anti-Cornæo p. 131. qui POTESTATEM vivificatricem pro POTENTIA vivificatrice accepit.



3) *in artic. de Deo* Ægid. Strauch. Comp. Theol. Posit. Pol. artic. II. p. 133. Christian. Matth. in Coll. Anti-Photiniano II. p. 241. sqq. Tarnovius de SS. Trinitate p. 159. ubi potestas actui opponitur adeoque potentiae æquipollet.

4) *in artic. de Imagine Dei.* Georg. Zeæm. c. IV. p. 69. 166. qui similiter potestatem actui opponit.

5) *in artic. de libero arbitrio & conversione*, Theol. Regiomontani in Censura Theolog. Orthodoxorum Latermanno opposita, ubi censura I. p. 17. in qua Latermanni phrasin, nostræ potestatis esse se ipsum convertere rejiciunt, probantque: *scripturam sacram ita non loqui de conversione, quæ doceat, ne quidem in POTESTATE viri esse dirigere gressus suos, multo minus, velle se convertere, cum scriptura sacra soli Deo & velle & perficere attribuat, Jer. XXXI. ergo voluntati & POTESTATI non competere. Retractasse Augustinum phrasin illam; nostræ POTESTATIS esse, acquiescere salutari inspirationi & consentire vocationi; ergo multo magis retractandam a Latermanno illam esse, nostræ POTESTATIS esse velle se convertere.*

*in eod. artic. iidem Theologi in Anti-Crisi sive Confutatione judiciorum a complicibus Latermanni editorum p. 3. Conf. Joh. B. Carpz. II. in L. S. p. 483. ubi actuali inclinationi opponitur potestas & vis eligendi.*

*in artic. de pœnitentia* Joh. A. Scherz. Anti-Bellarmino. Disp. XII. ubi Bellarmino contendenti thesin: enumerationem omnium peccatorum mortalium in confessione, de jure divino esse necessariam, atque provocanti ad Patrum auctoritatem respondet: *mentiar si syllabam invenias in Chrysostomo, Greg. Nazianz., Ambrosio, Hieron., Augustino, Gregorio abs te citatis. Vocabulum enim POTESTATIS & judicandi non notat jurisdictionalem & judicialem POTESTATEM, sed EFFICACIAM & VIRTUTEM cœlitus datam, judicium discretivum, non forense.*

7) *in artic. de conjugio* Joh. Ad. Scherz. Syst. loco XXVII. ubi HABILITATEM & POTESTATEM generandi synonyma facit, perhibens: *jus Canonicum pubertatem non tam aunorum numero, quam corporum habilitate & generandi POTESTATE aestimare.* Conf. Joh. Muf. Disp. de Conjug. §. 62. p. 34. 35. 36.

8) *in loco de votis monasticis* Fridem. Bechm. Annot. uberior. in Compend. Hutteri, Loco XXVI. p. 777. ubi perpetuæ a conjugio continentiae votum illegitimum esse perhibetur, quia est de re, quæ non est in



est in nostra POTESTATE, & p. 780. inter alias rationes, quibus vota monastica rescindi possunt, est & hæc, quia *in nullius hominis POTESTATE est (potentia & facultate) vovere perpetuam castitatem.*

9) *de libris symbolicis & confessionibus* Abr. Calov. in Crit. sacro membro I. p. 14. ubi in articulis fundamentalibus cæteri POTESTATE contineri dicuntur.

§. 9.

Divisiones excipiunt *Conjugata* potentia, ut sunt *potentialis, potentiale* apud Theologos non minus quam Philosophos usitata

1) *in loco de cæna Domini* apud Joh. Ebartum loco XXI. p. 517. ubi distinguit inter proprium POTENTIALIALE & actuale, inter ἐνέργειαν & ἐντέλεια, inter actum primum & secundum.

2) *in loco de peccato* ap. Ægid. Strauch. Comp. Theol. Posit. Polem. artic. VI. p. 247. Ubi reatum peccati, ex aliorum mente distinguit in POTENTIALIEM & actualem, secundum illum meretur pœnas, secundum hunc promeritas experitur.

§. 10.

Conjugatis subijcimus regulam: *facultates naturales perficiuntur habitibus*, quam & Theologi in artic. de peccato ad objectum suum applicant e. g. Henr. Asc. Engelcke Comp. Nov. Controv. cap. IX. p. 170. ubi ad Objectionem Musæi: nullam qualitatem positivam requiri ad deordinationem facultatis concupiscentia; Respondet: *notissimum est facultates naturales perfici habitibus, & prava dispositione luxari. Deordinatio ergo facultatis non tantum absentiam rectitudinis, sed & contrarium rectitudini impetum denotat.*

§. 11.

Tandem oppositum potentia addimus, quod est *Impotentia*, incapitas, inefficacia, imperfecta naturalis potentia, imbecillitas. Impotentia non 1) ea, quæ opponitur habitui & formæ, in subjecto capace, & consistit in privatione, quo sensu cæcitas hominis impotentia dicitur; nec 2) ea, quæ opponitur formæ in subjecto incapace, & consistit in mera negatione, quo sensu absentia visus in lapide dicitur esse impotentia, sed 3) ea, quæ positivum quid est, & non nisi gradu differt a potentia naturali, estque potentia debilis, infirma, imperfecta &c. Hæc prædicamentalis dicitur, priora duo genera impotentia transcendentalia sunt; & quo rarior prædicamentalis est impotentia in scriptis Theologorum nostrorum, eo frequentior in iisdem est transcendentalis.



1) *in loco de Angelis* Joh. A. Quenst. Syft. Theol. P. I. p. 154. qui causam efficientem lapsus Angelorum, voluntatem sponte a Deo deficientem his verbis exponit: *lapsus nonnullorum Angelorum nulla alia causa efficiens, ut sic dicam, est quam propria ipsorum voluntas, sponte se a Creatoris obsequio avertens & ad malum convertens. Non enim peccarunt ex natura defectu & IMPOTENTIA, sed ex mera malitia & e.*

2) *in loco de imagine Dei*, Georg. Zeæman. cap. III. p. 69. qui notat nonnullos imaginem Dei naturalem potentiam imperfectam vocare. Alii, inquit, *secundæ qualitatis speciei subjiciunt & rudem tantum ac imperfectam Naturalem potentiam, h. e. aptitudinem tantum seu inclinationem ad bonum fuisse censent, ut interim primus homo initio conditus justus non fuerit habitu.*

3) *in artic. de fide infantum* Joh. Asselm. Synt. Disp. P. I. Disp. XXII. p. 830. ubi observat, nos pro probanda fide infantum in genere, non allegare exemplum Johannis baptistæ singulare & extraordinarium, sed tantum pro instantia urgere ad argumentum adversariorum, quo ex *advantia* naturali & defectu rationis ut mera negatione prætendunt infantes non posse credere.

4) *in artic. de baptismo & Confirm.* J. A. Scherz. Anti-Bell. Disp. X. p. 505. qui ad objectionem: ex Ebr. VI, 4. impossibile est lapsos post baptismum renovari iterum ad pœnitentiam, quomodo renovantur, qui baptizantur; Ergo baptismus non valet in futurum, respondet: *a) INCAPACITAS subjecti non arguit inefficaciam sacramenti. Subjectum peccando in Spiritum S. sese reddit inefficax ß) a peccato in Spiritum S. ad reliqua N. V. C.*

5) *in articulo de regeneratione* Frid. König Theol. Posit. p. 191. §. 467. ubi terminum regenerationis a quo constituit in genere mortem peccati & pergit: *in specie ex parte intellectus terminique a quo est ingens illa cæcitas & advanta omnimoda ad salutariter agnoscendum objectum salvificum Ephes. V, v. 8. Joh. I. Ex parte voluntatis par IMPOTENTIA amplectendi salutariter oblatum in Evangelio bonum. Rom. VIII, 7. conf. p. 196. §. 499.*

6) *in loco de libero arbitrio*, ubi Joh. Bened. Carpz. I. potius Joh. Olear. Isag. in Formulam Concordiæ p. 1220. ex dicto Coloss. II, 13. vos cum essetis mortui per delicta &c. contra Synergistas argumentatur: *quanta est IMPOTENTIA hominis, mortui corporaliter respectu receptionis vite æternæ, tanta etiam est IMPOTENTIA hominis spiritualiter in peccatis mortui respectu consecutionis vite spiritualis.*  
Atqui



Atque IMPO TENTIA hominis corporaliter mortui ratione tum preparationis, tum accommodationis ad vitam receptionem est omnimoda. Ergo & hominis spiritualiter mortui IMPO TENTIA ad vivificationem est omnimoda. conf. Joh. Andr. Schmidius Comp. Theol. p. 162. Et Joh. B. Carpz. Ifag. in libr. Symbol. p. 483. p. 1253. 1276. 1268. Joh. Gerh. Confessio Catholica lib. II. P. III. artic. XXII. cap. IV. p. 569.

7) in articulo de conversione peccatoris Joh. And. Schmid. ibid. p. 217. Ubi hanc thesin: homo conversus statui gratiae excidere quidem potest, sed tamen in eundem restituitur si conversio iteretur, exponit: excidere potest, vel totaliter duntaxat, & quoad exercitium fidei, & quoad ejus possessionem, non vero finaliter, ut electus, testibus Davide & Petro; vel & totaliter & finaliter, ut alii. Rem autem ita se habere facile colligi potest ex supra dictis de IMPO TENTIA & viribus, sed infirmis adhuc in homine residuis. Ubi vires infirmæ sunt impotentia.

8) in articulo de bonis operibus Joh. B. Carpz. Ifag. in libr. Symb. p. 273. ubi impletio legis in renatis dicitur esse exigua & immunda; imperfectio vero & exiguitas dicitur esse non propter defectum aliquem in causa principali, sed INCAPACITATEM subjecti recipientis, quam Deus pro absoluta sua potentia tollere non vult &c.

9) in artic. de creatione Schomerus in Coll. Novissim. Controv. c. V. p. 151.

10) in articulo de Novissimis Ægid. Strauch. C. Theol. Posit. Polem. artic. XXIII. p. 539.

11) in artic. de providentia Dei vid. ibid. p. 288. ubi data thesi: Deum ad singulas actiones hominis concurrere, notat: quoad malas negamus creaturam a Deo determinari, ut dicamus creaturam etiam resistere Deo; Resistit non per potentiam & virtutem, sed per IMPO TENTIAM & defectionem. Quod resistat causa secunda, imperfectio- nem infert in illa.

12) in artic. de peccato originis Joh. B. Carpz. If. in libr. Symb. p. 147.

§. 12.

Impotentia prout notat privationem potentiae, alia est remota alia proxima, Joh. B. Carpz. Ifag. in libr. symbol. p. 161. Atque ita, inquit, peccatum originale non tantum IMPO TENTIAM ad bonum secum affert, sed etiam illa ipsa IMPO TENTIA est, & quidem non REMO TA ac superveniens (saltem ut Dreierus in der Erörterung p. 250. pu- tat,

tat,



*tat, sed etiam PROXIMA ac naturalis, ipsa sc. facultas naturalis ac perpetua ad malum inclinatio in omnibus viribus tam superioribus quam inferioribus homini corrupto & secundum naturam propagato adherens.*

§. 13.

*Alia absoluta alia secundum quid, in loco de lege, & Evangelio. Henr. Alc. Engelcke Comp. Nov. Controv. cap. XVI. p. 228. ubi refert Crypto-Jansenianos in Belgio statuere ( ex hypothefi justificationis ex charitate infusa eaque perfecta ) ad salutem necessarium esse, ut amor Dei super omnia hæreat in corde nostro, quam diu vivimus idemque pertinere ad implendum primum maximumque mandatum, obligans sub pœna æternæ damnationis: & inter hos Macarium Havermanum Tr. II. Theol. Moral. agnoscere quidem: hominem per lapsum se conjecisse in quandam IMPOTENTIAM implendi illud continuæ dilectionis præceptum, negare tamen illum esse omnimodam & ABSOLUTAM IMPOTENTIAM, ideoque obligare sub morali utut non statim a primo momento usus rationis.*

COROLLARIA.

**I**N Deum non cadit potentia passiva, cadit vero in Angelos.

Qui habilis est recipiendo fini, habilis etiam est recipiendis mediis ad finem ducentibus.

Potentia passiva naturalis citra Dei specialem concursum traduci in actum potest.

Aliud est posse peccare, aliud non posse peccare, aliud posse non peccare: aliud posse mori, aliud non posse mori, & aliud posse non mori.

Fidem habere potentia, idem est ac fidem non habere.

Voluntas Dei in relatione ad Deum naturalis est potentia non libera.

Voluntas in usu libertatis suæ ab intellectu practico necessario non determinatur.

Spiritus in sacra scriptura, animæ contradistinctus non notat spiritum ab anima substantialiter distinctum.